



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Constitutivtionvm Pars Prima De Professione Fidei, Et Eivs Tvendæ Cvra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

ANNO  
CHRISTI  
1565

*Nos Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, ac sanctissimi domini nostri papæ, & sanctæ sedis apostolicæ per vniuersam Italiam legatus de latere, Dei & eiusdem apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Mediolanensis, de consilio & assensu reuerendissimorum dominorum coepiscoporum nostrorum, in prouinciali Synodo Mediolanensi hæc statuimus & sancimus.*

CONSTITVTIONVM PARS PRIMA  
DE PROFESSIONE FIDEI,  
ET EIVS TVENDÆ CVRA.

**P**RIMA & maxima pastorum cura versari debet in iis quæ ad fidem catholicam, quam sancta Romana ecclesia colit & docet, & sine qua impossibile est placere Deo, integre inuiolateque conseruandam pertinent: ideo nos hinc potissimum exordiendum esse duximus, vt, quæ ex eodem spiritu est fides, eamdem vna oris confessione profiteamur.

Sacri igitur Tridentini Concilii auctoritate innixi, mandamus, vt omnes ii, qui beneficia ecclesiastica obtinent, vel in posterum obtinebunt; & qui in Synodum diœcesanam conuenire debent; in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia & singula a sancto Concilio Tridentino definita & statuta palam recipiant; veram obedientiam summo Romano pontifici spondeant; simulque hæreses omnes publice detestentur, & anathematizent; fidem profitentes eisdem verbis quibus ex formula a sanctissimo domino nostro Pio IV. pontifice maximo præscripta, nos & coepiscopi nostri initio huius sanctæ Synodi, iurati præstitimus, professi sumus, etiam si antea in diœcesana Synodo id officium, ad exequendum iussu Tridentini Concilii, quacumque ratione & modo obierint.

Episcopi omnes prouinciæ nostræ constitutionem sanctissimi domini nostri Pii IV. pontificis maximi de professione fidei facienda ab iis, qui de beneficiis curatis, & canonicatibus prouisi sint, & a docentibus literas, & a promouendis ad doctorales vel alios gradus, publicent in suis ciuitatibus, & diœcesibus intra mensem & ab omnibus inuiolate seruandam curent: præsertim vero ab iis,

*Concil. Tom. 36.*

B

qui cuiuscumque status, conditionis, & dignitatis sint, quouis modo, vel nomine, publice aut priuatim, domi suæ, vel alienæ, etiam si pædagogi sint, pueros, adolescentes, aliosve cuiusvis sexus, & ætatis, quascumque artes literarias, vel alias liberales, etiam si ipsa prima grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, vel alia quavis ratione, etiam si gratis doceant; quorum etiam omnium mores, antequam ad docendum accedant, probare debebunt, alioquin de iis pœnas in eadem constitutione propositas sumant.

ANNO  
CHRISTI  
1565.

Qui vero ne prædicti huic decreto obtemperent impedierint, aut huius temeritatis quacumque ratione illis auctores, aut adiutores fuerint, seuerè puniantur. Vt autem id facilius ac melius effici possit, studiose inquirant parochi, quinam in suis parochiis eo docendi munere fungantur, & eorum nomina ad episcopum ad mensẽ, a die publicationis constitutionis eiusdem numerandum, deferant. Quos vero deinceps eiusmodi cognouerint, primo quoque tempore episcopo indicent.

Parochi diligenter animaduertant, an in suis parochiis vllus sit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus; eumque ad episcopum, vel inquisitorem deferant. Moneant præterea populum, debere omnes, si quos nouerint aliquid fecisse, vel dixisse, quamobrem de huiusmodi peccato in probabilem suspicionem venerint, statim deferre.

Obseruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, vel hæresis nomine suspectorum veniunt; singulorumque dicta, & facta odorentur, ac de eorum vitæ consuetudine & ratione cognoscant, & si qua de iis suspicio fuerit, episcopum, vel inquisitorem admoneant.

Principes vero, & ciuitatum magistratus hortamur, ac per viscera misericordiæ Christi Domini obtestamur, vt cæleste lucrum terrenis commodis præferentes, commercium, & consuetudinem hæreticorum, quam fidelibus perniciosam ac pestiferam esse constat, pro sua pietate, ac studio religionis, e suis vrbibus atque opidis amouendam ac tollendam curent.

Prohibeantque ne suæ ditionis homines, percipiendæ etiam linguæ causâ, aut mercaturæ, aliove nomine,

ANNO in hæreticorum locis instituantur, aut commorentur.  
CHRISTI  
1566.

Sacro denique inquisitionis officio in omnibus ex animo faueant, & opitulentur: &, vt eius edicta feruentur, auctoritatem etiam suam rogati interponant. Cumque eis a sancta sede apostolica concessum fuerit, vt causis fidei ad patrocinium catholicæ veritatis assisterent, nihil sibi in illis vsurpare, neque quidquam, quod contra sacros Canones sit, attentare velint.

Episcopi regulas indicis de libris vetitis, ab iis, qui illi negotio a sacrosancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, ex auctoritate sanctissimi domini nostri Pii quarti editas, ab omnibus librorum impressoribus, ac bibliopopolis, ceterisque omnibus laicis, & ecclesiasticis personis feruari iubeant. Quorum vero librorum purgatio eiusdem indicis iussu facienda est: eos legi, vendi, aut emi, habere omnino vetamus; donec ab iis, ad quos pertinet, purgati, & probati fuerint.

*De abutentibus sacra scriptura.*

Nefaria est eorum temeritas, qui sacra scripturae verbis, vel sententiis, ad iocum, assentionem, contumeliam, superstitionem, impietatem, aut ad quosuis profanos sensus abutuntur. Quamobrem episcopi in eos, qui in hoc genere deliquerint, ex sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii decretis grauitè animaduertant. Et, vt detestabilis hæc licentia prorsus tollatur, fidelem populum per concionatores, parochos, confessores de huius peccati grauitate frequenter admonendum curabunt.

*De ludimagistris.*

Principes, & magistratus in Domino vehementer hortamur, vt, nulla sumptus sui habitatione, publicos ludimagistros in vrbes, & suæ ditionis loca conducant, non minus fidei; & vitæ quam doctrinæ & scientiæ laude commendatos. Qui vero literas docebunt, non solum libros, indice sanctissimi domini nostri Pii quarti auctoritate edito, nominatim vetitos, pueris non interpretentur, aut ab illis legi patiantur; sed neque etiam alios, quibus obscœna, vel turpia contineantur. Præcipimus etiam, vt bonis moribus, & salutaribus præceptis eos erudiant; in primisque in aliqua pia, & Christiana institutione, si episcopo videbitur, exercent: ceteraque omnia officia, quæ Leo

decimus in Lateranenſi Concilio ſtatuit, præſtent. In iis ſi deliquerint, pro delicti genere plectantur.

ANNO  
CHRISTI  
1565.

*De fidei initiis a parochio tradendis.*

Parochi ſingulis dominicis, & aliis feſtis diebus, qui eccleſiæ præcepto agi ſoleant, pueris ſinguli in ſuis parochiis initia fidei tradant, eoſque ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præſtandam, erudiant: ac propterea a prandio ſtata hora, proprio campanæ ſono, ad id munus allignato, ad eccleſiam conuocandos curabunt.

*De præbenda theologali.*

Quæ eccleſiæ cathedrales, aut collegiatae in opidis inſignibus præbendam, aut ſtipendium quouis nomine theologiae interpreti aſſignatum non habent, cum in illis ſacrum Concilium Tridentinum præbendam primo vacaturam ad hunc uſum conſtituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per ſe præſtandum idoneus ſit, deferri voluit, id ſi adhuc re ipſa effectum non ſit, curent epiſcopi vt quamprimum decreto Concilii ſatiſfiat.

*De prædicatione verbi Dei.*

Apoſtoli, in quorum locum epiſcopi ſucceſſerunt, ſatis nobis aperuerunt, verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum illorum munus, qui in epiſcopali ſede collocantur. Quamobrem nos auctoritatem ſacroſancti Tridentini Concilii, & veterum patrum ſecuti, in Domino epiſcopos hortamur, vt toto pectore in hanc curam incumbentes, greges ſibi commiſſos ipſimet, præſertim in eccleſia ſua, verbo Dei paſcant. Quod ſi leui de cauſa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, ſciant ſibi prætermiſſi neceſſarii officii iudici Deo præcipue rationem eſſe reddendam. Sin autem ſe interdum vere impeditos cognouerint, per viros idoneos, ex præſcripto eiſdem Concilii deligendos, hoc munus ſtudioſiſſime populo præſtent. In aliis vero eccleſiis parochialibus, vel alias curam animarum habentibus, ſaltem omnibus dominicis, & ſolennibus diebus feſtis; ieiuniorum autem, quadrageſimæ, & aduentus tempore, quotidie, vel iis ſaltem diebus, quibus epiſcopus iuſſerit, proprio parochio, & curato, oues ſibi commiſſas, pro earum ſenſu & intelligentia, ſalutaribus verbis paſcendas mandamus. Si qui autem propter inſcitiam id præſtare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implo-



Ab. l.

ptis ab ecclesia scriptis feligant. Ne certum tempus Antichristi aduentus, & extremi iudicii diem prædicent; cum illud Christi Domini ore testatum sit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Neve quidquam præterea futurum ex sacris literis diuinare, eique euentui certam diem præfinire audeant. Neque temere, id sibi diuinitus reuelatum esse, affirmant. Ne historias ex apocryphis scriptoribus populo narrent; Neve miracula, quæ probata scriptoris fide non commendentur. Si quæ tamen auditoribus salutaria iudicant, ita commemorent, vt a certa eorum affirmatione abstineant. Ne ineptas & ridiculas fabulas recenseant: Neve superuacanea & parum fructuosa.

Ne hæreticorum opiniones, & argumenta referant apud imperitam multitudinem. Quod si alicubi necessitas postularit, vt eorum falsa dogmata accuratius, ac liberius confutentur, id non longa disputatione, sed graui redargutione faciant. quod facile assequentur, si catholicam veritatem expromentes, sanctæ ecclesiæ, Conciliorum, & probatæ veteris consuetudinis auctoritate, ac sanctorum doctorum, quos probat ecclesia, testimoniis roborarint; & sacra scripturæ locos, quorum sensus ab illis ad corrumpendas simplicium hominum mentes deprauantur, & ex aliis eiusdem scripturæ locis, & ex sanctorum patrum sententia fideliter interpretentur. Sic enim fiet, vt dogmatum peruersitas, quæ falsa interpretatione nitebatur, catholice veritatis vi, & rectæ interpretationis pondere corruat. Ne quid ambiguum, ancepsve loquantur, quod auditoribus varie intelligendi occasionem præbere possit. Neve concise, & obscure quidquam exponant, qua ex re auditorum animi expectatione incerti & suspensi relinquuntur.

Ne ostentandæ doctrinæ, & eloquentiæ causa, difficiles atque inanes quæstiones, fucumve orationis, & pigmenta conquirant, vnde sui ipsius potius quam Iesu Christi prædicatores esse videantur. Sed præcipue in euangelii, symboli, orationis dominicæ, angelicæ salutationis, decem præceptorum, sacramentorum ecclesiæ, & sacrorum rituum dilucida explicatione versentur. In reprehendendis vitiis ita se gerant, vt pietatis, & caritatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant. Diligentes, ac vehementes sint in iis vitiis & pecca-

ANNO  
 CHRISTI  
 1565.

tis exagitandis, in quibus magis volutatum populum, aut ad ea procliuiorem vident.

In prauas etiam consuetudines inuehantur; & in eas, quæ etsi malæ non videntur, tamen facile peccandi causam afferunt.

Ne quemquam nominatim, aut tacite illum designantes, insectentur.

Ne in ordinem vllum, statum aut vitæ genus ab ecclesia receptum, inuehantur.

Ne episcopos, aliosve prælatos, neve ciuiles magistratus cum auditorum offensione asperius obiurgent, sed pie potius admoneant, populumque doceant, præpositis suis, etiam dyscolis, obedire. Quem etiam sæpissime moneant ex Apostoli iententia, vt faciat obsecrationes, orationes, <sup>1. Tim. A.</sup> postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt; præsertim vero pro iis, qui peruigilant quasi rationem pro animabus eorum reddaturi; vt quietam & tranquillam vitam gerant in omni pietate & castitate.

Ita afficere studeant auditores, vt sua peccata dolenter defleant; quos interdum propositis suppliciiis æterni ignis a flagitiis & facinoribus deterreant; interdum commemoratis cælestis vitæ præmiis, ad virtutes, in primis vero ad Dei, & proximi amorem, accendant.

Decreta Concilii Tridentini, præsertim quæ ad mores & disciplinam Christianam restituendam pertinent, & has nostras constitutiones populo studiosius inculcent.

Omnes hortatu & præceptis ad pietatem erudiant, & quæ cuiusque sit propria virtus, quod officium patris, filii, viri, vxoris, domini, serui, laici, clerici, priuati, magistratus, omnium denique ætatum, generum, ordinum partes, & munera assidue commemorent.

Hanc præterea rationem habeant, vt non solum Dei, & ecclesiæ præcepta seruanda esse doceant, sed modum illis tradant, quo ea ex Dei voluntate seruare oporteat. Commoneant vt non solum præceptis seruandis, sed etiam consiliis amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere studeant.

Doceant quomodo vtendum sit bonis animi, corporis, & externis; quove modo secundis & aduersis rebus; vt



ea sint illis tamquam instrumenta ad consequendam vitam  
caelestem. ANNO  
CHRISTI  
1565.

Maxime vero caueant, ne, quod præceptis & hortatu  
ædificant, id vita & moribus destruant: ne, cum aliis præ-  
dicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Indulgentias populo ne  
publicent, nisi de consensu episcopi.

Neminem populo paupertatis nomine commendent,  
nisi is testimonium ab episcopo scriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur vt eleemosy-  
nam a quoquam petat in ecclesia, sed aut ad fores eccle-  
siæ stet, aut per eos, qui eam curam susceperint, id nego-  
tium ita commode ac celeriter agatur, vt minime concio-  
nem impediatur.

Sacra concio noctu nunquam, sed opportuno tempo-  
re, episcopi præscripto, habeatur.

Dum habetur, nec Missæ aut horæ canonicæ clara aut  
submissa voce in ea ecclesia dicantur.

Episcopi iis diebus, quibus legitime impediti prædi-  
candi munus in suis ecclesiis per alios præstabunt, eisdem  
sacris concionibus, quantum poterunt, interesse stude-  
bunt. Qui vero dignitates, personatus, vel canonicatus in  
cathedrali ecclesia obtinent, & alii eiusdem ecclesiæ cle-  
rici, dominicis ac festis solennibus diebus semper; quadra-  
gesimæ autem, & aduentus tempore quam sapissime ver-  
bi Dei conciones in eadem ecclesia audiant; quod officium  
ceteris quoque ciuitatis clericis præstari diligenter cura-  
bunt episcopi; vt ipsorum exemplo laici etiam ad audien-  
dum Dei verbum studiosius confluant.

Concionis audiendæ causa, loca virorum, & mulierum,  
si fieri potest, episcopi cura distinguantur, qui ad id exe-  
quendum idoneos aliquot viros adhibeat: & a sæcularibus  
magistratibus, si opus erit, auxilium petat.

*Quæ seruanda sunt in sacris imaginibus effingendis.*

CVM sacrosancta Tridentina Synodus decreuerit, ne-  
mini licere vlllo in loco, vel ecclesia, etiam quomodoli-  
bet exempta, vllam insolitam ponere vel ponendam cu-  
rare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit, eius-  
que diligentia & curæ commendarit, vt in sacris effingen-  
dis imaginibus nihil falsum, nihil profanum, nihil inhone-  
stum, nihil præpostere, nihil non recte atque ordine adhi-  
bere-

ANNO  
 CHRISTI  
 1565.

beretur, illud in primis caueant episcopi, ne quid pingatur, aut sculpatur, aut veritati scripturarum, traditionum, aut ecclesiasticarum historiarum aduerferetur: ne cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

Historiæ quoque, quibus neque ecclesia, neque probati scriptores auctoritatem vllam dederunt; sed sola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur. Deinde vniuscuiusque imaginis os, corpus, corporis habitum, & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent episcopi; vt hæc omnia ad prototypi dignitatem & sanctitatem apta sint & decora; atque ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occasio. Hæc & reliqua huiusmodi ex Tridentini Concilii præscripto; vt commodius episcopi exequantur, conuocent suarum dioceseon pictores, & sculptores; omnesque pariter doceant, a quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis: curentque ne illi, inconsulto parrocho, aliquam sacram imaginem publice, vel priuatim effingant. Quod si qui deliquerint, puniantur tam ipsi artifices, quam ii, quorum sumptibus, vel iussu effictæ erunt imagines.

Parochi vero episcopo significant, quæ ille iudicarit in sacris imaginibus effingendis ad se propter difficultatem deferri debere.

Quod si quæ iam pictæ imagines, fictæ simulacra ob artificum temeritatem, aut inscitiam, eiusmodi fortasse fuerint, vt ferenda nullo modo videantur, ea curent episcopi, doctorum etiam, & peritorum virorum consilio adhibito, vt omnino deleantur, vel saltem aliqua ratione corrigantur.

*De actionibus, & repræsentationibus sacris.*

QVONIAM pie introducta consuetudo repræsentandi populo venerandam Christi Domini passionem, & gloriosa martyrum certamina, aliorumque sanctorum res gestas, hominum peruersitate eo deducta est, vt multis offensionibus, multis etiam risui, & despectui sit, ideo statuimus;

Vt deinceps Saluatoris passio nec in sacro, nec in profano loco agatur, sed doctè & grauiter eatenus a concionatoribus exponatur, vt qui sunt vberes concionum fructus, pietatem & lacrymas commoueat auditoribus, quod adiuuabit proposita crucifixi Saluatoris imago, ceterique

prius actus externi, quos ecclesie probatos esse episcopus iudicabit. Item sanctorum martyria & actiones ne agantur, sed ita pie narrentur, ut auditores ad eorum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

*De sanctorum reliquiarum veneratione.*

UT sanctorum reliquiis, quæ debetur, venerationis & cultus adhibeatur, statuimus: ut in locis honestissimis, ac decoris vasculis, qua debent religione, asservantur.

Cum populo pietatis causa ostenduntur, lumina accendantur.

Ex loculis vero, & receptaculis, ubi condita sunt, ne educantur.

Ne temere omnium oculis exponantur;

Neve quaestus gratia.

Cetera etiam de reliquiis, quæ a sacra Tridentina Synodo decreta sunt, episcopus inuiolate seruari iubeat.

*De magicis artibus, veneficiis, diuinationibusque prohibitis.*

MAGOS, & maleficos, qui se ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis mentes hominum perturbare, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram, & constitutionem immutare, ventis, tempestati, aeri ac mari incantationibus imperare posse sibi persuadent, aut aliis pollicentur: ceterosque omnes qui quouis artis magicæ, & veneficii genere pactiones, & foedera expresse, vel tacite cum demonibus faciunt, episcopi acriter puniant, & e societate fidelium exterminent.

Deinde omnem diuinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex vnguium & lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, somniis, mortuis, aliisque rebus, quibus per demonum significationem incerta pro certis affirmantur, futura prædicere, furta, thesauros absconditos commonstrare se posse profitentur, & huius generis reliqua, per quæ curiosorum, & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, coerceant & eiiciant. In eos etiam, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos & cuiusvis generis magos de aliqua re consuluerint, vel, ut consulerentur, cuique auctores, adiutores, hortatoresve fuerint, vel eis fidem habuerint, seuerè animaduertant. Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos vel superstitiosos usus fecerit, aut vendiderit, graui pœna afficiatur. Astrologi,

ANNO  
CHRISTI  
1565.

qui ex Solis, Lunæ, & aliorum aſtrorum motu, figura, & aſpectu, de hominum aſtionibus, quæ a libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certo aliquid euenturum aſfirmant, grauibꝰ pœnis plectantur: quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiuſmodi rebus detulerint. Denique pœnas ſumant epiſcopi de iis omnibus, qui in itineris ſuſceptione, aut cuiuſuis rei inſtitutione, vel progrefſione dies, tempora, & momenta obſeruantes, quadripedum voces, auium garritum, aut volatum notantes, ex occurſu etiam hominum vel pecudum ſuſcipiendi operis felicitatem augurantur.

*De blaſphemia.*

BLASPHEMIÆ impudentia & impietas eo prolapſa eſt, vt in ea coercenda vix ſatis diligentia adhiberi poſſe videatur, itaque ſacris Canonibus, & pontificum decretis, maxime vero iis, quæ Leo X. in Lateranenſi Concilio decreuit, innixi hæc mandamus:

Vt quicumque Deo palam ſeu publice maledixerit, contumelioſiſque aut obſcœnis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel glorioſam virginem Mariam eius matrem, expreſſe blaſphemauerit; ſi clericus ſit, primum fructibus vnuiꝰ anni beneficiorum eccleſiaſticorum, quæcumque habuerit, mulctetur. Si iterum in eo peccarit, eo beneficio, quod habet, priuetur, & ſi plura obtineat, eo priuetur, quo ordinarius priuandum cenſuerit. Si tertio blaſphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcumque habuerit, eo ipſo amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis ſit. Si vero laicus fuerit, primum, aut etiam ſecundo, pecunia mulctetur ex præſcripta in eodem Concilio ratione. Tertio grauem pœnitentiam publice agat, eo modo, quo a ſacris Canonibus præſcriptum eſt.

Qui vero ſanctos blaſphemarit, aut in Deum & glorioſam Virginem matrem maledicta, non tamen palam aut publice contulerit, mitius aliquanto iudicis arbitrio puniatur.

In foro autem conſcientiæ ei, qui blaſphemiæ reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam confeſſor imponat. Qui blaſphemantem audierit, ſi poſſit ſine periculo, aſperius obiurget: omnino autem intra triduum eius nomen ad iudicem eccleſiaſticum, vel ſæcularem deferat. Si plures ſimul audierint, ſinguli idem faciant: niſi inter eos con-

uenerit, vt vnus pro omnibus eo fungatur officio. Quod si domini, mercatores, aut artifices, famulos, aut ministros audierint blasphemantes, semel monitos, si iterum in eo genere peccarint, domo eiiciant. Principes autem, & magistratus per Dei gloriam, quæ blasphemia maxime violatur, obsecramus, vt hæc omnia diligentissime seruari studeant, vberimam piæ curæ a Deo mercedem expectantes, præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranensi Concilio, & ipsis iudicibus, & deferentibus elargitus est. Quod si sæculares iudices, quod minime futurum speramus, blasphemiam conuictosiustis pœnis non affecerint; sciant iisdem pœnis, quas de fontibus sumere neglexerunt, ex eodem Concilio se teneri.

ANNO  
CHRISTI  
1565.

*De festorum dierum cultu.*

MAXIMAM in eo diligentiam ac studium episcopi ponere debent, vt dies festi pie sancteque obseruentur ab omnibus. Cum enim ii potissimum ad celebrandas Dei, & sanctorum laudes salutariter instituti sint, curandum est etiam diligenter, vt ne iis ipsis quisquam ad diuinam offensionem & animæ suæ perniciem abutatur.

Prohibeant igitur ii, ne illiberales artes exercentur, aut vllum opus fiat eo tempore alienum.

Ne quid ematur, aut vendatur præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit.

Ne officinæ, aut omnino aut aliqua ex parte, apertæ habeantur. Ne fiant nundinæ, sed, quæ festo die fieri consueuerint, in antecedentem, vel sequentem diem, qui festus non sit, transferantur. Qui secus fecerit, seuerè plectatur episcopi arbitratu.

Pro officinis apertis, rebusve venditis, si filius, famulus, ministri deliquerint, etiam pater, dominus, & artifex, pœnam subeant.

Iis etiam diebus studebunt episcopi, ne personati homines incedant.

Ne ludi equestres, certamina, aut alia ludicra & inania spectacula adhibeantur.

Choreæ, saltationes in vrbibus, suburbiis, opidis, vicis, aut vsquam omnino ne agantur.

Doceant vero populum, debere vnumquemque, eo potissimum tempore, in diuinis officiis, & concionibus au-

diendis frequentem esse, ac in precibus, recolendisq̄ue Dei  
 maximi beneficiis, assidue versari.

CONSTITVTIONVM PARS SECVNDA.

*De iis quæ ad sacramentorum administrationem  
 generatim pertinent.*

QVO maior & vberior est sacramentorum fructus,  
 quam vt eius vis explicari facile possit; eo diligen-  
 tius, & intima animi pietate, & externo cultu, ac vene-  
 ratione tractanda ac percipienda sunt. Quod officium vt  
 omni studio & opera nostra adiuuemus, præter ea, quæ  
 ad salutarem hanc rationem constituit sacra Tridentina  
 Synodus, quæ & episcopi, & parochi inuiolate seruare  
 debebunt, nonnulla etiam, ad tollenda incommoda &  
 abusus, quos in prouincia nostra hominum vel culpa, vel  
 negligentia in sacramentorum administrationem inuexe-  
 rat, statuenda duximus.

Primum autem magnopere hortamur episcopos, quo-  
 rum dioceses inter se implicatæ, & confusæ sunt, vt com-  
 muni voluntate, atque sententia rationem inire studeant,  
 qua explicari & commodius distingui possint; adhibita  
 etiam, si opus erit, prudentia, ac diligentia vicinioris epi-  
 scopi, vt amice sublatis impedimentis, negotium de com-  
 muni eorum sententia, sedis apostolicæ auctoritate, con-  
 ficiatur.

Quæ parochiales ecclesiæ partem habent sui populi ex-  
 tra mœnia urbium, vel opidorum, vel alibi; quo fiat, vt  
 parochus, præsertim nocturno tempore, illis hominibus  
 sacramenta commode administrare non possit; in illis epi-  
 scopi aut eam partem commodiori parochiæ vniant; aut  
 etiam, inuitis rectoribus, ex constitutione Alexandri III.  
 & decreto Concilii Tridentini, nouas constituent pa-  
 rochias.

Illis autem sacerdotibus, qui de nouo erunt ecclesiis re-  
 center erectis præficiendi, congruens assignetur portio,  
 arbitrio episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem  
 quomodocumque pertinentibus: & si necesse erit, com-  
 pellant populum ad ea subministranda, quæ sufficiant ad  
 vitam noui rectoris sustentandam.